

Citationes sive evocationes, quomodo fieri debeant?

A R T I C U L U S 19.

Fiant Evocationes Dominorum et Nobilium possessionatorum per testimonium Capituli et homines Banales, pro quinto decimo die.

Taxa literarum.

A R T I C U L U S 20.

Pro redemptione vero literarum Evocatoriarum, atque relatoriarum, Magistro Proto-Notario solvantur denarii quinquaginta, et Capitulo similiter denarii quinquaginta.

§. 1. Evocationes vero Nobilium unius sessionis fiant per Judicem Nobilium.

Colonorum migratio et ejus licentia.

A R T I C U L U S 21.

Traductio colonorum, quae hactenus demeritis quidem rusticorum exigentibus inhibita erat; interdum etiam inordinata quadam et damnabili consuetudine in plerisque locis fieri solebat; omnium Dominorum, ac Nobilium et Regnicolarum uno voto et consensu admissa et concessa est; modo et ordine infrascripto.

Modus accipiendi licentiam colono.

A R T I C U L U S 22.

Si quis colonum alterius ad bona sua traducere voluerit; assumpto penes se Judice Nobilium Comitatus illius, accedat Dominum illius coloni, vel officialem, aut villicum ejus: Et Judex Nobilium, depositis prius pro terragio denariis quatuor, repetat colonum et licentiam abeundi illi recipiat.

§. 1. Recepta tandem licentia, relinquat colonum in loco suae residentiae infra spatium quindecim dierum, ut interim omnia debita, quibus Domino suo terrestri, aut alteri cuiquam, qui illum ibidem requisitum habuerit, persolvat:

§. 2. Vel si Dominus ejus terrestris, benevolum in bonis suis reservare poterit; liberam superinde habeat potestatis facultatem.

§. 3. Ubi vero idem Dominus terrestris, hujusmodi colonum benevolum apud se et in bonis suis reservare non poterit; extunc ipso quinto decimo die, iterum Judex Nobilium illo vadat et colonum ipsum clara die, cum omnibus suis rebus mobilibus, illi Domino, aut Nobili, qui illum recipere voluerit, restituat et colonus restitutus iterum infra terminum aliorum quindecim dierum immediate sequentium, libere se cum rebus suis omnibus recipere et traducere valeat.

Seminatura coloni migrantis.

A R T I C U L U S 23.

Seminaturas autem, si quas idem colonus in sessione illa sua, quam relicturus est, habeat; sub nomine ejusdem pacifice maneat: